

V E N D Æ,
 ANTIQVISSIMÆ POLONIÆ DUCIS,
 FATUM FINALE,

partim Historicis, partim Moralibus, Discursibus
 interpolatum;

P R Æ S I D E

M. GEORGIO WENDIO,
 Wratisl.

Gymnasii Thorun. Rectore & Prof. Publ.

a. d. 3 Feb. Decembr. A. M. DC. IC. 1700

ad conferendum propositum

ab

ERNESTO FRIDERICO VAHLEN,
 Caminenfi Pomerano,

Opponendi Provinciam in se suscipientibus:

MICHAELE Karßburg / Falckenb. Marchico;

PAULO Duberman / Strassfurt. Pol.

SIMONE ANDREA POLCZYN, Conecenfi Borusso.

G E D A N I,

Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII. *v*

Athen. Typogr.

Fatum VENDÆ.

Læta hoc successu (de superatis Germanis) *VENDÆ* precipitem sese de ponte (ne quis adversus Casus ejus felicitatem contaminaret,) in Istulam dedit, sicq̄ aquis obruta interit. Zawacki Rogala in Catal. Duc. & Reg. Pol.

I. Nobile.

I. De *Genere Moriu*, ἀντροχαια, nemo Historicorum ambigit. Et quare hoc? Gentilis erat Venda, cui suo more gloriosum ducebatur, heroico animo fati sui occupare diem. Poloni quoque, perinde ac alii Slavici populi, (de quibus Helmold. in Chron. Slav. l. 1. c. 52. & 83.) humanam diis suis consecrare hostiam, in more positum habuerunt.

II. *Causa* vero, propter quam in sui ipsius perniciem ruebat, minus erat sufficiens. quid enim? an DEO per hoc & Reipublicæ (quo in casu aliqui apud Pufendorf. libr. 2. de J. N. & G. cap. 5. §. 5. p. 204. à lege seipsum non interficiendi eximi dicuntur,) aliquo modo consultum esse cupiebat? Immo vero precipitem sese dabat, (1.) ut ne quis adversus Casus felicitatem ejus, qua secundum Dlugoss in omni vita supra ceteros mortales abundavit, contaminaret, (2.) ne caelebs ejus Vita quoque modo defloresceret. Michov. l. 1. Chron. Pol. c. 6. p. 11. Male, profecto! etiamsi è naturæ solummodo principii examinentur ista.

(1.) Ducissa poterat omnino vel nullo amplius laceffi bello, vel, si in gratiis depugnandum fuisset eidem, pulchram denno de hoste superato reportare Victoriam. Inevitabilis de statu felicitatis dejiciendi necessitas ei nulla incumberebat. Quatenus igitur cum bello Vitam simul finivit, tantum abest, ut felicitatem illa suam retinuerit integram, ut potius exitioso isto saltu eam vel maxime contaminaverit. *Mori, vel ne paupertatem, vel amorem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis Viri minime est, sed potius timidi: quippe cum laboriosa fugere mollires sit,* ait Aristoteles III. Nicom. c. 11. (2.) Altera quoque ratio vel ideo non militat, quod derelictus à suis atque à muliere vel sine prælio victus, Ritigerus, mortem sibi consciverat prius, quam Votum se immolandi faceret Ducissa. Ubi proin ulterior ejusdem instantia? unde periculum coelibatus? Alius insuper, qui ipsam certatim ambiret, t. t. quoque non prodibat in conspectum. Diditus enim de ea quaquaversum fuerat rumor, ipsam malle Principem esse, quam Principis Conjugem. Excuset itaque, quicunq̄

enque voluerit, simulatum hunc Virginitatis conservandæ prætextum, equidem in legem naturæ peccasse Vendam non abnuerim. *Iustas* :

Atqui Venda opinata est, gratam se hoc pacto DIs patrii immolare victimam. Ita enim Dlugoff. Tom. I. Chron. Polon. l. 1. p. 55. seq. Venda pro tam magna & insigni Victoria, (quam obtinebat contra Rithogorum, conubia ejus petentem,) pro tam felicibus successibus, quibus in omni vita sua supra ceteros mortales abundabat, primum DIs suis ad omnia pulvinaria per 30. dies supplicationem pro re bene gesta decrevit, qua rite expleta, *seipsam spontaneam Victimam DIs offerendam statuit.* &c. Proceribus itaque convocatis, victimis prius caesis, & sacrificio more patrio rite peracto, in quo & gratiæ de præstitis donis exolvebantur, & imponebatur precatio, ut sibi partes meliores concederentur apud inferas sedes, de ponte in amnem Vislam saliens, undis fluvii hujus sese donavit. &c.

R.

Opinata est Venda, gratum se DIs suis offerre holocaustam, reapse autem atrociter peccavit. Ut enim silentio prætereamus, nullo jure excusari posse ferale ejusdem ritus, (1.) sanioribus sane gentilibus exosus erat funestus ejusmodi ex hac Vita discessus. Plato l. 9. de LL. ita statuit: qui seipsum vita, & sorte factorum vi privaverit, non judicio Civitatis, nec tristi & inevitabili fortunæ casu coactus, neque pudore aliquo extremo compulsus; sed ignavia, & formidolosi animi imbecillitate, de seipso injuste statuerit. Cretenses Regem suum, Idomeneum, cum naufragus ex voto conscelerato filium sibi obviam factum immolare diis vellet, patria ejiciebant. Alex. ab Alex. l. 3. G. D. c. 22. p. 166. Labeo apud Augustinum de Civ. DEI l. 8. c. 13. existimat, *Numina mala victimis cruentis* atque hujusmodi supplicationibus placari oportere; bona vero ludis & talibus, quasi ad lætitiâ pertinentibus rebus. Carthaginenses quoque, sanguine humano pestem avertere conantes, Justino male audiunt. Dicit enim, cruenta sacrorum religione & SCELERE pro remedio usos esse. libr. 18. c. 6. (2.) In Latio mos erat antiquitus, Saturnum humano colere piaculo, idque oraculi arbitrio; & qui deinceps sacre hujusmodi morti destinabantur, non ad aram immolabantur, verum de ponte Milvio in Tiberim mittebantur; ad postremum, cum Hercules ex Hispania reversus esset, NB. *pro veris hominibus imagines ex scirpo dejectabantur.* Lactant. l. 1. de fals. Relig. c. 21. p. 66. Macrobi. l. 1. Saturnal. c. 7. p. 275. seq. VENDAM eheu! nullum Oraculum, nulla peregrina manus; sed vana gloriæ cupiditas, in Vistulæ profluentem præcipitavit.

X 2

(3.) Ple-

(3.) Plerique Slavorum populi, (ut est apud Helmoldum l. c.) Lituani, (Cromer. l. 15. de Reb. Pol. p. 241.) Prussi vicini, (Düsburg. part. 3. Chron. Pruss. c. 86. & 331.) adeoque & Poloni, è bellis reduces, aliquem de captivis eximium, (neutiquam autem *seipfos*,) victimæ loco igni cremabant; Venda (proh facinus!) non aliquem è Ritigeri captivis, (quod tamen & ipsum culpa non caruisset,) verum *seipsam* inferis victimam obtulit, & hac ratione, perinde ac Carthaginis Cives, *scelere* viam ad portum quæsit. Judicet itaque jam, cui judicium non est nullum. Venda male periit!

II. Observatio.

1. *Historica.* Principum, *liberos* suos pro Regni incolumitate immolantium, Exempla passim prostant: (inter Moabitas Mesa, inter Græcos Agamemnon, inter Thebanos Creon, inter Messenios Aristodemus, inter Arcadas Lycaon, inter Norwagios Haqvinus & Haraldus, inter Suecos Aune, &c. clari sunt:) qui tamen *seipfos* simili, ac Venda, instituto DIs patriis devoverint, non facile sunt obvii. (M. Curtii & Cyanes exempla, utut affinia, huc non quadrant. (1.) uterque Oraculo ita consulente fecerunt, quicquid fecerunt, non ausu, ut Venda, proprio. (2.) uterque privati erant, non homines, ut Venda, ad clavum Reipublicæ sedentes. (3.) uterque pestis amoliendæ, Cyane etiam incestus expiandi, gratia, non temere, ut Venda, ultro projiciebant. Vitam. (4.) Cyane tandem non proprio, ut Venda, interiit saltu, sed, postquam incestuosum Patrem, Cyanippum, diis mactaverat, *seipsam* quoque super eum ab aliis necandam conjecit. de priori vid. Val. M. l. 5. c. 6. ex. 2. de poster. Plutarch. c. 38. Parall.)

2. *Moralis.* Pulchrum est, Virginitatis tueri honorem, quodsi tamen alio, quam proprecidii, modo conservari illa poterit, naturæ legibus contrarium est, vitalem sibi propterea eripere auram. (Ab Ambrosio lib. de Virg. 3. non improbatum martyris Pelagiæ, *Castitatis conservandæ gratia*, unâ cum matre & Sororibus in flumen se præcipitantis factum; attamen quid hoc ad Vendam? In parili, h. e. *inevitabili*, cum Pelagia discrimine constitutam fuisse jam supra negavimus.)

S. D. G.